Proibito

CONRADI Geſneri Philoſophiæ Interpretis & Medici Tigurini, De libris à ſe editis Epiſtola

Ad GVILIELMVM TVRNERVM *Theologum & Medicum excellentiß. in Anglia.*



Ex Legato P. Laurentij de Rubeis

TIGVRI apud Chriſtophorum Froſchouerum, M. D. LXII.

PRAESTANTI DOCTRINA ET PIETATE VIRO GVILIELMO TVRNERO *Theologo & Medico doctißimo, Decano Vuellensi, Conradus Gesnerus Tigurinus S.*



VONIAM Scriptorum meorum hactenus à me editorum Catalogum à me petis, clarißime Turnere, en morem tibi gero: quod tua in me beneficia & amicitiæ nostræ ius postulant: idque eò faciliùs, vt eadem opera alijs quoque viris eruditis, qui idem à me interdum è diuersis regionibus petere solent, gratificer. Quamobrem etiam typographo libellum permisi excudendum, vt si quis requirat in promptu habeam, nec sæpius eadem de re ad alios atque alios mihi scribendum sit posthac. Repetam autem omnia quæ à iuuentute vel ipse condidi, vel ab alijs condita ad editionem promoui. In Bibliotheca nostra ante annos XVII. excusa, multa mearum lucubrationum desiderantur posteriùs à me edita. In eiusdem verò compendijs, apud nos & Basileæ publicatis, quædam non rectè posita sunt. Has ob causas hîc simul

ſimul omnes labores literarios meos, eo ferè ordine, quo deinceps & ſcripti à me & editi ſunt, enumerabo.

Primùm igitur circa annum Domini 1537. Lexicon Græcolatinum, quod iam antea à diuerſis et innominatis neſcio quibus ſatis mi ſerè cōſarcinatum erat, ex Phauorini Camertis Lexico Græco ita auxi, vt nihil in eo extaret, quod non vt ſingulari fide ac diligētia, ita labore maximo adijcerem: ſed typographus me inſcio & præter omnem expectationem meam, exiguam dūtaxat acceſsionis meæ partem adiecit, reſeruans ſibi fortè auctarium ad ſequentes etiam editiones. Eodē paulò poſt defuncto, meum exemplar recuperare non potui. Ab eo etiam tempore in gratiā Henrici Petri Baſilienſis Typographi ter aut quater ex diuerſis lectionibus meis idem volumen inſigni acceſsione auxi, ita vt ſemper nominarem authores, à quibus ſingula excepiſſem, vt & authoritas maior eſſet, & orthographia minus corrumperetur: quod ſi alij etiam multi Lexicorum corruptores potius quàm authores obſeruaſſent, non vſque adeò aliquot millibus locorum corrupta hæc volumina hactenus in publicum prodijſſent, non ſolùm Typographicis erratis paſsim in- 1

numeris absurdissimè referta, propter imperitiam illorum qui ad præla corrigunt: sed ipsorũ etiam auctorum, quorum plurimos id circo sua nomina profiteri puduit. Vltima quidem editio à me locupletata Basileæ nuper prodijt ex officina Hieronymi Curionis, anno 1560. Septembri, in folio, chartis trecentis octoginta quatuor. Cæterùm hoc anno, quo hæc scribo, 1562. Geneuæ prodijsse audio longè copiosissimum emendatissimumque, Græcę linguæ Thesaurum, à Rob. Constantino incomparabilis doctrinæ viro, ex Ioan. Crispini officina.

2 Medicaminum succiduorum (quæ antiballomena Græci vocant) Galeno adscriptorum tabula Latinitate donata, adiectis etiam Græcis multò castigatioribus, & annotationibus in quosdam locos. Eadem ex libris Dioscoridis, Aëtij, & Pauli Aeginetæ passim excerpta, & in vnum diligenter conscripta, subiecimus. Chartę sunt, quinq; cum dimidia, excusæ Basileæ in 8. cum Actuarij opere de compositione medicamentorum, apud Rob. Vuinter, 1540.

3 Enchiridion historiæ plantarum, ordine alphabetico, ex Dioscoride sumptis descriptionibus, & multis ex Theophrasto, Plinio, ac recentioribus Græcis additis: facultatibus autem

tem ex Paulo Aegineta plerunque quàm bre
uiſsime adſcriptis, etc. in gratiã medicinę can
didatorũ, qui cognitionis ſtirpium cauſa ru-
ſticari interdum ſolent. Rob. Vuinter impri-
mebat in 8. Baſileæ anno 1541. chartis nouen
decim: & eodem anno Melchior Seſſa Vene-
tijs in 16. 4 Huic ſimilem aliũ de cęteris ſim-
plicibus medicamẽtis libellum, nondũ edidi.

Cõpendiũ ex Actuarij Zacharię libris de 5
differentijs vrinarũ, iudicijs, cauſis & præui-
dẽtijs. 6 Vniuerſalis doctrina Cl. Galeni
Pergameni de cõpoſitione pharmacorũ ſecũ
dum locos affectos à capite ad calcem, parti-
cularibus medicamẽtis omiſsis. 7 Symbola
Galeni experimentorum ex libris eius colle-
cta, & aliorum quorundam. Hoſce tres libros
Chriſtophorus Froſchouerus Tigurinus ty
pographus vno volumine coniunxit Tiguri
1541. in 8. chartis 24.

Apparatus & delectus ſimplicium medica 8
mentorum, ex Dioſcoride & Meſuæo præci
puè, alphabeti ordine, pharmacopolis maxi-
mè vtilis liber. 9 Continẽtur autem eodem
volumine vniuerſalia Pauli Aeginetæ præce
pta de medicamentorum ſecundum genera
compoſitione: & eiuſdem argumenti omnia
quæ in Galeni libris de compoſitione med.
κατὰ γένη præcepta extant, multis ſuperfluè di-

ctis, & particularibus plerisque compositionibus remotis, &c. Frellonij fratres excudebāt Lugduni 1542. in 8. chartis 18. & dimid. & Venetijs fratres de Nicolinis in 16.

10 Catalogus plantarū nomina Latinè, Grecè, Germanicè & Gallicè è regione proponens, secundum ordinem alphabeti, Latinis preeuntibus, vnà cum vulgaribus pharmacopolarum nomenclaturis, &c. His accedunt in calce operis Nomenclaturæ stirpium secundum varias gentes, Dioscoridi adscriptæ, in ordinem literarum digestæ. Liber impressus est Tiguri apud Froschouerum, anno 1542. in 4. chartis 41. & dimid.

11 De syllogismis Compēdium authoris incerti, è Greco translatum, excusum Basileæ in 8. chartis duabus & dimid. apud Ioā. Oporinum, cum Ioachimi Perionij lucubrationibus quibusdam in organum Aristotelis, anno 1542.

12 Moralis interpretatio errorū Vlysis Homerici, authoris incerti. 13 Cōmentatio Porphyrij philosophi de Nympharum antro in xiij. libro Odysseæ Homericæ. 14 Apologiæ quædam pro Homero & arte poetica, fabularumq; aliquot enarrationes ex Commentarijs Procli Lycij Diadochi philosophi Platonici in libros Platonis de republica: in quibus pluri-

plurimæ de dijs fabulæ, non iuxta grammaticorum vulgus historicè, physicè aut ethicè tractantur: sed theologicis (vt gentiles loquũtur) ex prima philosophia rationibus explanãtur. Omnia per nos è Græco sermone conuersa, & euulgata Tiguri 1542. in 8. chartis 12. ex officina Froschouiana.

Porphyrij philosophi quæstiones Homericæ. Pauli Silentiarij hemiambia de thermis, & alia quædam ex Grçcis eodem tempore, aut etiã postea à me conuersa, nondum in lucem exiuerunt. 15

De lacte & operibus lactarijs libellus, philologus pariter ac medicus, cũ epistola ad Iacobum Auienum Glaronensem de mõtium admiratione, excusus Tiguri 1543. in 8. chartis 6. & dimid. 16

Ioan. Stobæi Collectanea siue Loci Communes cxxiij. ex omni genere authorum vetustissimorum Græcorum, cl. ferè cõgesti, ex nostra interpretatione Latina, &c. His accessérunt opuscula tria, à nobis etiam primùm Latinè edita: nempe Cyri Theodori dialogus de amicitiæ exilio senarijs iãbicis. Opuscula duo Platoni adscripta, vnum de iusto, alterum an virtus doceri posit. Omnia Grçcè & Latinè è regione, Tiguri apud Froschouerum, cũ duplici indice, vno rerum, altero authorum, an- 17

no 1543.in folio,chartis 210.& iterum, Stobęi locis, cum ex manuſcriptis exemplaribus,tũ aliunde,auctis atque recognitis,anno 1550.& tertiò, 1559. Eoſdem locos Oporinus Baſileæ edidit Germanicè, Ge. Læto interprete. Audio & Antuerpiæ Latina noſtra ſeorſim excuſa eſſe abſque Græcis.

18 Heraclidis Pontici Allegoriæ in Homeri fabulas de dijs, & ſermo Dionis de Homero Latini facti, excuſi Baſileæ apud Ioan. Oporinum, adiectis etiam eiſdem Græcis, & alijs quibuſdam raris ac elegantibus opuſculis,anno 1544.in 8.

19 Michaelis Epheſij Scholia in Ariſtotelis libellos,nempe: De iuuentute & ſenectute,vita & morte. De longitudine & breuitate uitæ.De diuinatione per ſomnũ. Omnia è Gręco trãslata,& impreſſa Baſileę in 8.1541.chartis 6.& dimid.cum Nicolai Leonici explanatione in primum librum Ariſtotelis de partibus animalium,apud Vueſthemerũ.& Venetijs 1545. in folio, cum Alexãdri Aphrodiſ. commentarijs in librum Ariſtotelis de ſenſibus,Lucilio Philaltheo interprete.

20 M.V.Martialis poetæ Epigrãmata(ad linguæ Latinæ copiam,& varias rerum nomenclaturas vtiliſsima) ab omni verborũ obſcœnitate,in adoleſcentium præcipuè ſcholarũq; vſum

vſum expurgaui, & in Locos circiter 86. digeſsi. His adieci dialogos tres, quibus ratio huius inſtituti redditur, & multa de puerilibus ſtudijs commemorantur. Et in fine Annotationes Iac. Micylli. Froſchouerus cudebat Tiguri 1544. in 8. chartis 28.

Ambroſij Calepini dictionariū linguę Latinæ, quod anno 1544. menſe Septembri impreſſum eſt Baſileæ apud Leonhardum Hoſpinianum, innumeris locis caſtigauimus: & ex poſtrema editione Venetijs publicata ad inſigne Sirenes, quæ ſupra quatuor millia vocabulorū ex probatiſsimis authoribus acceſſiſſe gloriatur, omnia in noſtrū exēplar tranſtulimus: & proſodiæ, id eſt, quantitatis ſyllabarum notas (plerunq; etiam verſus poetarum, quibus ea confirmetur) nouo labore ſingulis dictionibus, quę ordine alphabeti explicātur, inſcripſimus. 22 Cęterū nomina propria, ex quibus maxima pars Venetę acceſsionis conſtabat, ſeorſim à Latinis vocabulis in peculiare alphabetum, partim proprio labore, partim iuuantibus amicis, digeſta ſunt, additis omnibus illis, quæ in poſtremis dictionarijs poeticis continebantur. Huic volumini titulum fecimus, Onomaſticon nominum propriorum: quod tertiò iam auctum & emendatum à nobis prodijt, Baſileæ ex Hier. Curio- 21

nis officina. In secunda quidem editione, quę cunque Stephanus regius grammaticus Gręcus propria locorum nomina habebat, Latinè interpretatus adieci, & loca castigaui innumera. Gręca etiá nomina passim addita sunt. Vltima editio publicata est Basileæ 1560. in fol. Sunt autem Latinarũ dictionum chartæ cccxxij. Cum aliâs tum ex Pauli Manutij obseruationibus plurimùm auctæ: Onomastici verò nostri priuatim chartæ lxj.

13 In Lexicon Gręcolatinum anno 1544. Basileæ excusum in 4. de vtilitate ac dignitate linguæ Græcæ pręfati sumus.

14 Antonij Thylesij Itali Consentini opuscula aliquot, partim iam prius diuersis in locis, partim nũquam prius edita, tum styli Romana puritate, tũ eruditione, varietate & lepôre argumentorum, magno studiosorum applausu excipiẽda, Ioan. Oporino Basiliensi typographo dedi: qui ea publicauit 1545. in 8. chartis vndecim. Ex his ligato sermone conditus est Imber aureus tragœdia: & poematia vij. sòluto autem Commentarij duo, vnus de colòribus, alter de coronarũ generibus. Ab eo quidem tempore etiam alia quędá huius authoris poematia in Italia typis impressa nactus sum: quæ cum prędecedentibus coniuncta denuo excudi optarim, vt tam elegantis scriptoris

ptoris quæ extant omnia vno volumine haberentur.

Bibliotheca vniuerſalis, ſiue Catalogus omniũ ſcriptorum locupletiſsimus, in tribus linguis, Latina, Greca & Hebraica: extantium & non extantium, veterum & recentiorũ, vſque ad annum Domini M.D.XLV. doctorum & indoctorum, excuſorum & in Bibliothecis latentium: Opus nouum, & nõ Bibliothecis tãtũm publicis priuatiſue inſtituendis neceſſarium, ſed ſtudioſis omnibus cuiuſcunque artis aut ſciẽtię, ad ſtudia meliùs formanda vtiliſsimum. Tiguri apud Froſchouerum 1545. in fol: chartis 325. adiecto ad finẽ indice nominũ inuerſorũ, vt ea quorũ prænomina fortè lector ignorat, inuenire poſsit. Non ſolùm autem ſingula authorum ſcripta hoc volumine enumerantur: ſed ſingulorum etiam librorũ argumenta ſæpius adſcribuntur, ſiue ex ipſorum authorũ præfationibus, vt ſimul etiã ſtyli aliquod ſpecimen præbeatur Lectori, ſiue aliter: & ſuper multis Cenſurę doctorũ hominũ, & alia quędam, quæ in Compendijs poſtea excuſis, non meo quidem cõſilio omiſſa ſunt. poterant enim breuius quidem exponi, non tamen prorſus omitti. Sed ſuum plerunq; lucrum ſpectant typographi, potius q̃ vel authorum voluntatem, vel vtilitatem Le 25

ctorum solidam.In Compendijs quidem illis postea impresśis, permulta authorum nomina noua,recentiorum pręsertim, accesserunt: sed omnis illa accesśio seorsim etiā à Froscho uero nostro excusa est,vt qui primam editionem emerūt, aut deinceps etiā empturi sunt, fructu illò non frustrentur.

26 Sententiarum, siue Capitum,Theologicarum præcipuè,ex sacris & profanis libris Gręcis Collectorum digestorūq; in Locos communes, per Antonium & Maximum monachos, Tomi tres. Antonij Loci Melissa inscripti,inq; duos Tomos diuisi, numero sunt 175. Maximi verò 71.Tomo vno cōprehēsi.

27 Abbæ Maximi,philosophi, cōfessoris & martyris,Aphorismorum seu Capitū de perfecta charitate & alijs virtutibus Christianis, Centuriæ 4.

28 Theophili sexti Antiochēsis episcopi, de Deo & fide Christianorum cōtra gentes Institutionum libri tres ad Autolycum.

29 Tatiani Assyrij,Iustini martyris discipuli,Oratio cōtra Græcos. Hęc omnia(quinq; diuersorum authorum volumina) mea cura ex codicibus manuscriptis trāscripta, & meo labore emendata,ante & ad prælum, (præter Maximi Centurias priùs excusas, nunc quidē castigatiores,) Froschouerus Grcçè excudit Ti-

dit Tiguri 1546.in fol.chartis 73.

Et rursus eadem omnia in Latinũ sermo- 30
nem conuersa,eodẽ anno, in folio chartis 99. Ex his primam partem Melissæ Antonij ego interpretatus sum : & Tatiani Orationẽ, cui & annotationes adieci. Secundam verò Melissæ partem, & Maximi Locos Ioan.Ribittus Sabaudus Latina fecit. Maximi Centurias, Vincẽtius Opsopæus: Theophyli Institutiones, Conradus Clauserus.

Enumeratio medicamentorũ purgãtium, 31
vomitoriorũ & aluum bonam facientium, ordine alphabeti, excusa in 4. Basileæ in officina Frobeniana anno 1546.

Naturalis scientiæ totius Compendiũ,ex 32
Aristotelicis alijsq; libris ab Hermolao Barbaro patricio Veneto confectum, & in Italia impressum mendosissimè, quoad eius potui repurgatum Ioanni Oporino tradidi, è cuius officina prodiuit chartis octo in 8. anno 1548.quibus ille adiecit Hieronymi Vuildenbergij Aurimontani in plerosque Aristotelis physicorũ libros Epitomen,chartis vndecim.

Pandectarum siue Partitionum vniuersa- 33
lium, qui secundus Tomus Bibliothecæ nostræ est, libri nouẽdecim.excusi Tiguri apud Froschouerum in folio. 1548. chartis 191. In his libris omnium, qui in primo Bibliothecæ

tomo nominâtur authorum, & plurimorum insuper aliorum scripta non alphabetico ordine vt in primo tomo, sed secundum artium & scientiarum genera per certas classes & locos communes enumerantur: non titulis modò librorum memoratis, sed capitum etiã inscriptionibus, & particularibus plurimorũ librorum argumentis. Librorum inscriptiones hę sunt: 1. De grammatica & philologia. 2. De Dialectica. 3. De rhetorica. 4. De poetica. 5. De arithmetica. De geometria, opticis & catoptricis. 7. De musica. 8. De astronomia. 9. De astrologia. 10. De diuinatione cũ licita, tũ illicita, & magia. 11. De geographia. 12. De historijs. 13. De diuersis artibus illiteratis. 14. De naturali philosophia, & theologia gentilium. 15. De prima philosophia seu metaphysicis. 16. De morali philosophia. 17. De œconomica philosophia. 18. De re politica, id est, ciuili & militari. 19. De iurisprudentia. His liber vicesimus subiungendus erat De re medica, quem certas ob causas reliqui, & ne hactenus quidem absolui, quãuis materia satis copiosa mihi sit congesta.

54 Pandectarum, hoc est, secundi tomi Bibliothecæ liber xxj. siue vltimus, De theologia Christiana, seorsim cusus ibidem, in fol. 1549. chartis 90. Est autem is liber veluti index per

locos

locos digeſtus in pleroſq; veterum & recen-
tiorum theologorū libros, hoc eſt, librorum
titulos & capita ferè, &c. Ex chartis nonagin
ta, quibus conſtat, poſtremæ ſeptem continēt
Indicem alphabeticum, huic de theologia li-
bro & ſuperioribus nouendecim cōmunem.

Cl. Galeni librorū editioni Latinæ, quę pu 35
blicata eſt Baſileæ in officina Frobeniana, ex
Iani Cornarij recognitione anno 1549. capitū
diſtinctionem & argumēta in pleroſq; libros,
ab initijs ſingulorū, adieci: quę in multis (ijs
pręſertim, qui rei medicę tyronibus pręcipuè
neceſſarij lectu ſunt) ita copioſè ac methodi-
cè tractātur, vt vel Epitomes aphoriſticæ in-
ſtar haberi poſsint.

Hiſtoriæ animalium liber primus, qui eſt 36
de quadrupedibus viuiparis, cū figuris ad vi-
uum expreſsis: opus philoſophis, medicis, grā
maticis, philologis, poetis, & omnibus rerum
linguarumq; variarum ſtudioſis, vtiliſsimum
ſimul iucūdiſsimumq; futurum: in quo non
modò ſimplex animalium hiſtoria contine-
tur, ſed etiam veluti commentarij locupletiſ-
ſimi, & caſtigationes plurimæ in veterum ac
recentiorum eiuſdem argumenti, quæ videre
nobis licuit omnia, ex authoribus ferè ducen
tis quinquaginta, &c. Ita digeſtis commodo
perpetuoq; ordine omnibus, vt quicquid de

vnoquoque animali cognoſcere libuerit, nullo negocio ſtatim inueniatur. neque enim ad continuam lectionē à nobis hęc condita ſunt, ſed vt eorum qui Dictionariorū eſſe ſolet, ad inquirendum maximè, vſus ſit: quod non intellexerunt, qui prolixitatis in hoc opere nos accuſarunt. In ſequentibus quidem animaliū libris, minùs prolixus fui, hoc eſt, in philologia parcior. Hoc volumen in Epitomen cōtraxit, philologia omni omiſſa, excellens doctrina & virtute medicus Laurentius Hiel, in illuſtri Academia Genenſi hoc tempore profeſſor: idem fortè facturus in reliquis etiā noſtris de animalibus libris, vt aliquando cōiuncti publicentur. In Germanicū verò ſermonem ſimili compendio tranſtulit hunc & ſecundum de quadrupedibus ouiparis, Conradus Vitoduranus medicus, nunc etiam ęccleſiæ miniſter: & ſimiliter de aquatilibus volumen: quæ breui (vt ſpero) publicum accipiēt. Auium verò hiſtoriam Germanicā fecit Rodolphus Huslinus, quæ iam excuſa eſt anno 1548. chartis 87.

37 Theſaurus Euonymi Philiatri de remedijs ſecretis, (voco autem ſecreta, in quibus pars purior & tenuior, ab impuriore craſsioreque ſecernitur, arte,) liber phyſicus, medicus, & partim etiam chymicus, & œconomicus in

ĉus in vinorum diuersi saporis apparatu, medicis & pharmacopolis omnibus pręcipuè necessarius, impressus Tiguri apud Andream Gesnerum in 8. chartis 39. anno 1558. Agit autem pręcipuè de artificiosis aquarũ & oleorũ destillationibus siue extractionibus, ex herbis alijsq; simplicibus medicamentis. Secunda eius editio prodiuit anno 1558. adiectis quibusdam instrumentorũ destillatoriorũ figuris, & nouo Iacobi Bessoni libello, de absoluta ratione extrahẽdi olea & aquas è medicamentis simplicibus. Hunc librũ cum in gratiam Andreæ Gesneri patruelis mei, noui tũ typographi, immaturũ ederem, nomen meũ addere nolui. Nunc quoniã & magno studiosorũ rei medicę applausu eum exceptum video, & aliquando absolutiorem dare cogito, si Deus vitã dederit: me eius authorẽ esse dissimulare ampliùs nolui, pręsertim cũ iam viri quidam eruditi id deprehenderint. Ex eadem officina Germanicus etiã euulgatus est, Rodolpho Landebergero nostro (ecclesię Bulaci diacono in agro Tigurino) interprete. Et Latinè in 16. Lugduni: ibidemq;, ni fallor, Gallicè.

Veterum aliquot theologorum Græcorũ orthodoxorum libri Gręci, & ijdẽ Latinitate donati è regione: quorum pleriq; partim Latinè, partim Græcè antehac non sunt editi, no- 38

ſtra pleriq; cura excuſſi, Tiguri apud Andreã patruelem anno 1552. in fol. chartis 104. Sunt aũt hi Canones Apoſtolorum, & veterũ tredecim ſanctorũ conciliorũ decreta, à Clemente Romano, vt quidam putant, verſi & collecti, &c. Ignatij martyris & archiepiſcopi Antiocheni, epiſtolæ duodecim, Io. Brũnero Tigurino interprete. Athenagoræ Athenienſis philoſophi Chriſtiani Apologia, vel legatio pro Chriſtianis, ex noſtra interpretatione cũ annotationibus noſtris. Eiuſdem de mortuorum reſurrectione liber, Petro Nãnio interprete, cum Hen. Stephani typographi doctiſſimi (qui hos duos Athenagoræ libellos ſeorſim priùs excudit Geneuæ) in Græcũ ſimul contextum & Nannij verſionem Annotationibus. Aeneæ Gazęi Platonici Theophraſtus, ſiue de animarum immortalitate & corporum reſurrectione dialogus, Ioan. Vuolfio eccleſiæ Tigurinæ miniſtro interprete. Cydonij de contemnenda morte oratio, Raphaele Seilero I.C. Auguſtano interprete. Hermeę philoſophi irriſio gentilium philoſophorum, eodem interprete. Expoſitio capitum admonitoriorum Agapeti diaconi ad Iuſtinianum imperatorẽ, innominato interprete. Ex his ego ſuppeditaui Aeneæ Gazæi Platonici Theophraſtum, ex nobili reip. Auguſtanæ bi-

blio-

bliotheca nactus: & Ignatij epiſtolas, quas Lutetiæ paulò ante Grçcè excuſas ignorabam.

In Hieronymi Tragi de ſtirpibus Cómentarios Argentinę excuſos apud Rihelium anno 1552. prçfationem adieci in gratiam typographi, quæ cótinet Catalogum rei herbariæ ſcriptorum, qui ad illud vſq; tempus aliquid ediderunt, extantium & non extantium, &c. ſatis copioſam, chartis circiter tribus. 39

De thermis & fontibus medicatis Heluetiæ & Germanię libri duo, excuſi Venetijs in officina Iuntarũ, anno 1553. in fol. chartis quinque cum quadrante, cum permultis aliorum libris, qui thermas Italiæ deſcripſerũt. Ab eo autem tempore quoniã plurima obſeruaui, quibus hoc argumentum plenius illuſtrem, ſpero me breui eũdem librum auctum & recognitum ſeorſim editurum. 40

Tabulæ Collectionum, quibus per ſingulos anni menſes, quæ ſtirpes in ſingulis per Germaniã flores fructusq; vt plurimùm proferant, ordine recenſetur, Argentinæ à Rihelio impreſſę 1553. in 8. chartis quinque cũ quadrante, cũ Dauidis Kyberi ſummi amici mei, rei herbarię lexico: quod dum ſub prçlo eſſet, eodem anno, menſe Ianuario, optimus & doctiſsimus vir peſte ſublatus obijt, mihi verò iam morti proximus quæ excudenda ſuper- 41

erant,vt ante prælum inſpicerem ac emenda rem commendari voluit,&c.itaque & præfationem in illum librũ, & in authoris mortem Idyllium lugubre Græcum condidi.

42 Icones animalium quadrupedum viuiparorum & ouiparorum, quæ primo & ſecũdo hiſtoriæ animalium libro à nobis deſcribuntur,cum nomenclaturis ſingulorum Latinis, Italicis,Gallicis, & Germanicis plerunq;, per certos ordines digeſtæ. Tiguri procudebat Froſchouerus 1553.in fol.chartis ſeptẽdecim: & rurſus auctas ac recognitas tũ aliàs tũ multis deſcriptionibus & iconibus additis, quæ in hiſtoriarum libris nõ habentur,anno 1560. chartis trigintaduabus.Ligari autem debent cum ſequentibus animalium iconibus.

43 Hiſtoriæ quadrupedum ouiparorũ liber, id eſt,ſecundus de animalibus,cum Appendice ad quadrupedes viuiparas,anno 1554.ibidẽ excuſus in fol.chartis triginta ſeptẽ. Et quia paruus eſt, commodè vno volumine cum hiſtoria auium, id eſt, tertio de animalibus libro ligabitur.

44 Hiſtoriæ auiũ liber, (qui eſt tertius de animalibus)cum figuris,ex eadem officina,anno 1555. chartis quatuor ſupra ducentas. In fine adduntur Paralipomena.

45 Icones Auium omniũ, quæ in noſtra Auiũ hiſto-

hiſtoria deſcribuntur cũ nomenclaturis ſingularum in linguis diuerſis Europæ: ibidem euulgatæ anno 1555.in fol.chartis triginta tribus. Et rurſus anno 1560.nouis aliquot eiconibus ac deſcriptionibus auctę & recognitæ, chartis trigintaſeptem. In eá editioné emendationes & additiones aliquot, conieci ad finem Iconum quadrupedũ ſecũdæ editionis.

De medicinę chirurgicæ pręſtantia & antiquitate ſcriptum noſtrũ, & Enumerationem alphabeticam virorum illuſtriũ qui rem chirurgicã vel ſcriptis vel artis vſu excoluerũt, Geſneri fratres duo (patrueles mei) Tiguri publicarunt,chartis ſeptem & dimidia ferè,in volumine ſatis magno, quo diuerſos chirurgiæ ſcriptores, mea ferè cura, complexi ſunt. 46

De raris & admirãdis herbis,quę ſiue quòd noctu luceant, ſiue alias ob cauſas, Lunariæ nominantur, Cõmentariolus: & obiter de alijs etiam rebus quæ in tenebris lucent. Inſeruntur & nouæ quædam herbarum icones. 47

Deſcriptio montis Fracti ſiue Pilati vulgò dicti, iuxta Lucernam in Heluetia. Patrueles mei imprimebant Tiguri anno 1555. in 4.vnà cum Ioan.du Choul. G. F. Lugdunenſis, Pilati montis in Gallia deſcriptione: & Ioan. Rhellicani Idyllio, quo Stocchornum montem altiſsimum in Bernẽſium Heluetiorum 48

agro versibus heroicis describit. Chartę sunt omnium duodecim cum dimidia.

49 Epitome Bibliothecæ nostræ tomi primi, à Conrado Lycosthene Rubeaquensi edita primùm Basileæ, per Iosiam Simlerum Tigurinum recognita & aucta, plus quàm bis mille authorum accessione, excusa Tiguri apud Froschouerum in fol. 1555. chartis 105. Ad eã quidem augendam nos quoq; collectanea nostra contulimus, &c. Huius Epitomes accessio, appendix primi Tomi futura, seorsim etiã impressa est, vt suprà diximus. Rob. Constantinus Gallus etiã Lutetiæ edidit Nomenclatorem scriptorum insigniũ, qui veluti Epitome breuissima vtilissimaq; Bibliothecę nostræ est: vbi optimos quosq; veteres & recentiores scriptores nominat, extantes dũtaxat, manuscriptos vel impressos, secundum genera artium & scientiarum digesto libro, &c. Eũ Andreas Vuechelus Parisijs excudit 1555. in 8. chartis duodecim.

50 Mithridates, siue de differentijs linguarũ, tum veterum, tum quæ hodie apud diuersas nationes in toto orbe terrarũ in vsu sunt, obseruationes, typis Froschoueri excusæ Tiguri 1555. in 8. chartis decem.

51 Libelli tres medicinales: Vnus, De sanitate tuenda: Alter, Contra luxum conuiuiorum:

Ter-

Tertius, Contra notas astrologicas Ephemeridū de secandis venis. Sesquicharta à patruelibus impressa 1556. in 8.

Cl. Aeliani Prænestini Pontificis & sophistæ, qui Romę sub imperatore Antonino Pio vixit, Meliglossus aut Meliphthongus ab orationis suauitate cognominatus, opera quę extāt omnia Gręcè, Latineq; è regione, cura et opera nostra in lucem edita. Sunt autem hęc: De animalium natura libri xvij. ex Petri Gillij Galli & nostra interpretatione, ad Gręcos codices manuscriptos recogniti, & tertia ferè parte ex ijsdem per nos aucti, Gręcè quidem priùs antehac non excusi. Variæ historię libri xiiij. Iusto Vulteio Vuetterano interprete, nunc etiam recogniti. De militaribus ordinibus instituendis more Græcorum Liber j. à Fr. Robortello Vtinensi in Latinū sermonem versus, & ab eodem picturis quàm pluri mis illustratus, nūc denuò emendatior. Epistolæ rusticanæ, Sebastiano Guldebeccio Tigurino interprete. Omnia Tiguri apud patrueles meos anno 1556. in fol. chartis cētum septuaginta sex. 52

De piscibus & aquatilibus omnibus libelli tres. 53

1. Halieuticōn P. Ouidij Nasonis emendatum & scholijs illustratum.

2.Aquatiliũ animantiũ Enumeratio iuxta Plinium,emendata& explicata,ſerie literarũ.

3.Eorundẽ Nomẽclator Germanicus longè copioſiſsimus: Et alia quędam ad piſcium hiſtoriam pertinentia.Andreas Geſnerus excudebat Tiguri 1556.in 8.chartis 18.

54 De ſtirpiũ aliquot nominibus vetuſtis ac nouis, vt ſunt Mamirâs, Môly, Oloconitis, Doronicum,Bulbocaſtanum,Granum alzelin vel Habbaziz, & alia complura, Epiſtolæ duæ:vna Melchioris Guilandini Boruſsi: & altera noſtra,cũ nouis iconibus tribus. Chartæ ſunt tres excuſæ Baſileæ apud Nic. Epiſcopium F.1557. in 8. & rurſus cum epiſtolis Matthioli Senenſis.

55 M.Antonini imperatoris Romani & philoſophi de ſeipſo ſeu vita ſua libros xij. vnà cũ Marini Neapolitani libro de Procli vita & felicitate, Græcos è bibliotheca illuſtriſsimi principis Othonis Henrici,cum vir doctrina excellens Michael Toxites nobis communicaſſet, deſcribẽdos curaui,& ad archetypum contuli, & patrueli Andreę anno 1558.cudendos dedi,vnà cum translationibus Latinis,in Antonini quidẽ libros Guil.Xylandri Auguſtani:in Marini verò Proclum,amici cuiuſdã noſtri iuuenis per eruditi, qui præ modeſtia nomen ſuum exprimi noluit. Chartę ſunt triginta in 8.

Hiſto-

Historiæ animalium liber quartus, qui eſt de piſcibus & aquatilibus, cum iconibus, procuſus Tiguri à Froſchouero 1558. in fol. chartis trecentis & trigintaquinq;. Ad finem Paralipomena quędam acceſſerunt. Continẽtur aũt eodẽ volumine Gul. Rondeletij quoq; & Petri Bellonij de Aquatiliũ ſingulis ſcripta. 56

Hannonis Carthaginenſiũ ducis Nauigagatio, qua maximam Libycæ oræ partem vltra Herculis columnas luſtrauit, è Græco ſermone in Latinum cõuerſa, adiectis etiã Scholijs. Seſquicharta impreſſa Tiguri apud Andream Geſnerum F. anno 1559. cum Io. Leonis Africani Deſcriptionis Africæ libris nouem, in 8. 57

Xenocratis de alimento ex aquatilibus libellus Græcus noſtra opera editus, idemque Latinus ex noſtra interpretatione, vnà cum Scholijs. Chartæ ſunt quatuor cum dimidia, procuſę Tiguri apud Andream patruelem in 8. vnà cum Iani Dubrauij Olmucẽſis Epiſcopi De piſcinis & piſciũ qui in eis aluntur naturis libris quinque. 58

Icones animalium aquatilium in mari & dulcibus aquis degentium, plusquàm DCC. cum nomẽclaturis ſingulorum Latinis, Gręcis, Italicis, Hiſpanicis, Gallicis, alijsq; interdum. Explicantur autem ſingulorum nomi- 59

na ac nominum rationes, prę∫ertim in Latina & Gręca lingua vberrimè: & nominum cõfir mandorum cau∫a de∫criptiones quorundam, & alia quædã præ∫ertim in magno no∫tro De aquatilibus volumine non tradita, adduntur: deq; ∫ingulis Rondeletij, Bellonij, Saluiani, & no∫træ ∫ententiæ explicãtur breui∫simè. Fro ∫chouerus cudebat Tiguri 1560. in fol. chartis 101. Hoc monendus e∫t Lector, tres libros, qui bus continentur Icones Quadrupedũ, Auiũ & aquatilium, cõmodè vno volumine ligari.

60 Hi∫toria & interpretatio prodigij, quo cœlum ardere vi∫um e∫t per plurimas Germaniæ regiones, ineunte anno 1561. die tertio à Natali Dominico: deq; alijs quibu∫dam prodigijs veteribus ac nouis. Chartę ∫unt tres im pre∫∫æ apud nos eodem anno in 8. Conradi Boloue∫i authoris nomine. meum enim nõn ponere placebat, ne quis ∫utorem vltra crepi dam mihi obijceret. Placuit hęc interpretatio Anglis, qui ∫ua lingua eam ediderũt. Amicus quidam hîc Germanicè reddidit, ∫ed nõdum edidit.

61 Dictionarium Germanicolatinum no∫tra adhortatione copio∫i∫simum Io∫ua Pictorius no∫ter confecit, excu∫um Tiguri à Fro∫chouero in 4. anno 1561. cum no∫tra prę∫atione, in qua de lingua Germanica in vniuer∫um, eiusq;

eiusq; dialectis, & quàm latè pateat: quid ei cum Gothica & Gallica commune: deq; anti quis ac recentibus in ea ſcriptis, & illuſtrãdæ eius ratione diſſerimus, per ſeſquichartá ferè.

Valerij Cordi Simeſúſij Annotationes in Pedacij Dioſcoridis Anazarbei de medica materia libros quinq;, longè aliæ quàm antehac ſunt euulgatæ. 61

Eiuſdem Hiſtoriæ ſtirpium libri quatuor, nunc primùm in lucem editi, adiectis etiã ſtir piũ iconibus: & breuiſsimis Annotatiũculis.

Eiuſdem Sylua, qua rerum foſsiliũ in Germania plurimarum, Metallorum, Lapidum & ſtirpium aliquot rariorum notitiam breuiſsimè perſequitur.

Eiuſdẽ de artificioſis extractionibus liber.

Eiuſdem Compoſitiones medicinales aliquot, non vulgares.

His accedunt.

Stocc-hornij & Neſsi in Bernatium Heluetiorum ditione montium, & naſcentium in eis ſtirpium, deſcriptio Benedicti Aretij profeſſoris in Schola Bernenſi.

Deſcriptiones & icones quędam plantarũ noſtræ, & De hortis Germaniæ liber à me tum recens conſcriptus.

Hęc omnia typographo Argentinẽſi Ioſiæ Rihelio ſuppeditaui, anno 1561. qui ea publi-

cauit in fol.chartis trecentis ac tribus.Hortorum Germaniæ priuatim chartæ sunt xxxij.

63 Prolegomena in opera Galeni,Latina,quę hoc anno 1562. Basileę prodeũt,ex vltima doctissimorũ hominũ recognitione, &ç.Chartæ sunt sedecim cũ quadrante in magno fol.

64 Cassij iatrosophistæ naturales & medicinales quęstiones lxxxiiij. circa hominis naturam & morbos aliquot,ex nostra interpretatione Latina. Eædem Gręcæ lõgè quàm antehac castigatiores cum scholijs nostris. Iacobus Gesnerus imprimebat Tiguri 1562.in 8. chartis nouem cum dimidia: vnà cum Ant. Snebergeri medici Catalogo medicamentorũ simpliciũ pestilentię veneno aduersantiũ.

65 Santis Ardoyni Pisaurensis medici de venenis libri octo; cum tribus eiusdẽ argumenti Ferdinandi Ponzetti Cardinalis,excusi Basileæ apud Henricũ Petri, & Petrum Pernã, 1562.in fol. Vtriusque authoris codicem ante annos quadraginta aut ampliùs retrò excusum, typographis ego suppeditaui.: cum in nullis ampliùs bibliopolijs prostarent.

66 Aristotelis libellũ de virtutibus à me trãslatum,passim Stobęi Collectaneis Gręcè &Latinè inserui:sicut &Theophrasti characteres, Græco contextu & Politiani translatione, quoad eius potui,emendatis.

His

His vltimus hoc tẽpore adnumeretur, prę ſens hic de ſcriptis tũ proprijs, tum aliorum à me editis.

Ex his hactenus impreſsis lucubrationibus noſtris, pleraq; olim, ſi vixero & iterum edi ea contingat, aucta & emendata dabo.

De nondum editis, partim perfectis, partim imperfectis adhuc.

Verſabar hoc tempore in adornãda noſtra 1
ſtirpium hiſtoria, cuius materiá vberrimam & picturas quàm plurimas, permultis retrò annis congerere cœpi. Ab ea verò multę ſubinde occupationes neceſſarię, multa etiam ex improuiſo impedimenta me auocant. Nuper 2
quidem doctiſsimo typographorũ Hen. Stephano, Xenophontis de venatione libellũ, ab Omnibono Leoniceno minimè bene conuerſum, in eius gratiam vt emendarem roganti, obſecundare volui: & ſpero translationem illam cũ Scholijs fortè noſtris, inter cętera Xenophontis opera Latina ex eius officina propediem apparitura. Alterum impedimentũ 3
immatura doctiſsimi Auguſtani medici Ioá. Moibani mors mihi attulit: qui nuper ſuo fato fungens, amicis mandauit vt cõuerſionem ſuam & annotationes in Eupariſtωn Dioſcoridis Anazarbei libros duos, nuſquam ante hac editos, imperfectas ad me mitterent: quas

ego propter amicitiam quę nobis viuentibus intercesſit, ipſius nomine perficerē ederēq́; id quod eò faciliùs ſuſcepi, quoniam & illum amaui plurimùm, & libros illos Græcos Senatus Auguſtani liberalitate iamdudum trāſcriptos habui, inque ijs interdum animi gratia me exercui. Nuper etiam Val. Cordi Deſcriptionis ſtirpium librum quintum ſum nactus, quem in Italia confecit: eumq́; perlectū Argentinā ad Riheliū typographum, vt maturè excuderet, miſi.

5 Oppiani de aucupio librorū paraphraſim, quam Venetijs olim mihi deſcribendā curaui, Gręcā Latinitate donaui, & noſtræ animalium hiſtoriæ, paſsim inſerui: editurus etiam ſeorſim ſi occaſio fuerit, cum alijs quibuſdam Græcis de animalibus ſcriptis, &c.

6 Moſchionis medici Gręci de affectib. muliebribus librum, ex bibliothecę Auguſtanæ exemplari, quod vnicum & corruptiſsimum habere hactenus potui, deſcripſi & emendaui, editurus per occaſionem, vel Gręcè Latineq́; ſimul, vel ſaltem Latinè, vnà cum Priſciani & Cleopatræ Gynęcijs, quæ manuſcripta habeo.

7 Procopij Gazæi in Octateuchum (id eſt, priores octo veteris Teſtamenti libros) Cōmentarios Gręcos, copioſos ſanè & eruditos, ex ea-

ex eadem bibliotheca nactus ante annos aliquot, transcribendos curaui, & Con. Clausero conuertendos dedi, vbi primùm typographus contigerit, Græcè etiam editurus.

De canibus Io. Caij Angli medici & philosophi summi libellus, cum nostris quibusdá additionibus, vel per se, vel cum alio quopiá ad animalia pertinēte libro edendus apud me asseruatur. 8

Serpentium & insectorum historię materiam copiosam, & picturas ad viuum factas multas congessi. 9.10

Tabulas in plerosq; omnes naturalis philosophię secundum Aristotelem libros, dilucidas & copiosas confeci. 11

De lapidibus, gemmis & omni fossilium genere Obseruationum syluam collegi. 12

Remediorũ secundũ genera & locos digestorũ, maximum numerũ in schedis reposui. 13

In Aristotelis quosdá libros physici argumenti, paraphrases aut scholia in alios Græcè, in alios Latinè, ex Græcorũ interpretũ commentarijs concinnaui. 14

Admirandas Aristotelis narrationes emendaui & meliori ordine digessi, Græcè. 15

Latina quędam & Græca, carmina, epigrámata, idyllia, conscripsi. 16

Germanicorum nominum propriorũ, virorum & mulierũ, (quibus vsa est Germania 17

antequã ſanctorum nomina ex linguis peregrinis reciperet,) aliquot millia ſecundũ terminationes diſpoſita habeo. Apparet autẽ in ſingulis penè certa aliqua ſignificatio, vt vel ominis gratia, vel ſaltem non temere ſed certam ob cauſam impoſita videantur, ſicut & apud Græcos ferè. Nihil aũt antiquius in noſtra lingua, & vnde qualis ante multa ſecula fuerit, magis appareat, extare puto.

18 Germanicorũ vocabulorum q̃ plurimorũ ex Ebraica, Græca & Latina origines meditor.

Et alia quædã, ſi Deus cõceſſerit. ſed, vt res humanæ ſunt, Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. Volui tamen, etiã nõdũ editas & imperfectas lucubrationes meas cõmemorare, partim, vt viri boni ac eruditi, me dum vixero, nunquã ocioſum futurum, meq́; & mea omnia reipu. literariæ promouendæ perpetuò deuotiſsima fore intelligant: partim, vt ſi qui ætate ac valetudine firmiores & ocio magis abundãtes homines literati, ſimiliter erga bona ſtudia atq; ego affecti, reperiantur, ij de rudibus atq; inchoatis q̃buſdã meis materiã ſibi expoliendã, perfacile impetraturi poſtulare à me poſsint.

Vale Turnere doctiſsime, mei ſubinde memor, cùm aliàs, tum in tuis erga Deum O.M. precibus, ſicut ego etiã tui ſum. Tiguri quinto Kal. Septemb. Anni M. D. LXII.